

eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, precipue illa que Burchardus bonę memorię Basiliensis episcopus ecclesię vestrę concessit et scripto suo firmavit aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis deo propitio poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: in ipsa civitate parrochiales ecclesias sancti Albani et sancti Martini sicut fluvius Pirsicus determinat, ecclesiam de Buzensheim cum capella de Chuannehim cum 'reliquis' appenditiis suis, in vill[a] que dicitur inferior Basilea ecclesiam cum suis appenditiis, ius vestrum in ecclesia de villa que dicitur Kenpez et medietatem villę cum suis appenditiis, ecclesiam de Hagendorf, ecclesiam et villam de Appenwillare cum earum pertinentiis, Lorrach cum ecclesia et omnibus suis appenditiis tam in vineis quam in agris, pratis et silvis, ecclesiam de Houingen, ecclesiam de Candro, ecclesiam de Ansconcingen cum omnibus earum pertinentiis, silvam quę sita est iuxta sanctum Albanum, molendina in ripa Birse 'cum aqua omnibus eisdem molendinis sufficienti et' cum pratis adiacentibus, decimas in villa que dicitur Huningen, Rinwilar, Apparingen, Letchdencouen, Habenkesen, Guzwilre, Sirenze, in villa que dicitur Uestalda curtem unam cum vineis, Morswilre, Vfheim, Ramespach, Michilenbach, Obelwilre, Bratela, Gelterchinge, Durnum, Hulsten, Meten, Bladolzheim, Biningen, Machstat, Hüttingen¹ cum omnibus suis appenditiis. Decernimus 'etiam ut vestra ecclesia nullum subadvocatum habeat sed uno tantum principali et legitimo sit semper advocato contenta et' ut nulli omnino hominum licea² prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostrę constitutionis paginam sciens, contra eam venire temptaverit secundo tertiove conmonita si non satisfactione congrua emendaverit 'mille libras auri optimi ad kameram regalem persolvat. Testes autem in quorum presentia hoc scriptum fieri mandavimus sunt hii: Hermanus episcopus Constantiensis, Ortoliabus episcopus Basiliensis, Ardicio episcopus Cumanus, dux Welfho, Bertoldus dux Burgundię, Odaccar marchio de Stira, Vlricus comes de Lenzeburg'.

‡ Signum domni Friderici Romanorum regis invictissimi³. ‡' (M.)

1) Das 'e' über 'u' von späterer Hand, ebenso ein Strich über 'i'.
2) Sic! 3) Diese beiden Worte corrigiert aus 'rex invictissimus'.